

caritatis, ut exhybitio operis esset probacio ad amorem; potestatem dedit vobis terribilem, ut quodcumque ligaveritis in imperiali curia, sit ligatum, et quodcumque solveritis, sit solutum ¹⁷³⁾, quatinus demum sine vestro nutu nullus movere valeat pedem suum ¹⁷⁴⁾, nec immerito, quia vos tamquam Petrus universalis ecclesie architectus ¹⁷⁵⁾ eum diligitis multis modis, tenere videlicet, prudenter, ardentem et efficaciter pre consortibus universis. Ad remunerationem tam ^{a)} cari et ferventis amoris positus estis in lumine gencium ¹⁷⁶⁾ et in salutem omnium populorum, lumen ad revelacionem gencium et gloriam regni universi ¹⁷⁷⁾.

(8) Felix prorsus Capua, que vos genuit ¹⁷⁸⁾, scola felicior, que nutrit, felicissima regis curia, que vos habere meruit in iudicem et magistrum. Vos enim estis magister morum et iudex omnium ultionum. Adducuntur post vos reges, principes et magnates offeruntur vobis in leticia et exultacione, ut vestra gracia mediante in aulam introeant regis magni, sicut gentiles ewangelici venerunt ad dominum Philippo apostolo procurante ¹⁷⁹⁾.

Certe nichil dominus imperator fideles suos habere voluit, quod per vestras manus aliquatenus non transiret; persona vestra extat ad homines sicut ad areolas aromatum ^{b)} aqueductus. Tota nimirum persona vestra nobis data est et tota in nostros usus expenditur omni terre.

(9) Egredimini ergo filie Syon et videte magistrum Petrum coronatum, quibus coronavit eum ¹⁸⁰⁾ potentissimus Fr[idericus]! Intuemini, rogo, quanto dilectionis affectu eum voluerit ab omnibus honorari, qui totius potestatis plenitudinem posuit in hoc Petro; ad cumulum profecto glorie sue nullus secum admittitur. Solus cum Moyse ascendit ad montis verticem verba domini auditurus ¹⁸¹⁾, que verba nobis postmodum nunciata malis aureis in lectis argenteis ¹⁸²⁾ preditis ^{c)} simulacra: quam dulcia ^{d)} faucibus ¹⁸³⁾ animi super eloquia nostra!

(10) O mi ^{e)} Petre, super mel et favum ¹⁸⁴⁾ multipliciter commendatur ^{f)}, ad tantum nostri eloquii esum obliviscitur populus universus,

^{a)} tamen Hs. ^{b)} Dahinter que gestrichen Hs. ^{c)} So Hs.; Text offenbar verderbt. ^{d)} diltis mit Kürzungsstrich über s Hs. ^{e)} O mi auf Rasur. ^{f)} So Hs.

¹⁷³⁾ Matth. 16, 19. ¹⁷⁴⁾ Vgl. Gen. 41, 44. ¹⁷⁵⁾ architectus in diesem Sinne 1. Cor. 3, 10. ¹⁷⁶⁾ Vgl. HB. 2, 24. ¹⁷⁷⁾ Luc. 2, 32. ¹⁷⁸⁾ Vgl. HB. 2, 42—45. ¹⁷⁹⁾ Joh. 12, 20—22. ¹⁸⁰⁾ Cant. 3, 11. ¹⁸¹⁾ Exod. 19 ff.; vgl. HB. 2, 20—21. ¹⁸²⁾ Prov. 25, 11. ¹⁸³⁾ Ps. 118, 103. ¹⁸⁴⁾ Vgl. Ps. 118, 103.